



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

18. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

aut sacerdos non ex cathedra antiquitus tradita, sed ex suo cerebro propria quedam & noua dogmatizans audiendus non est. Tertio quando Ecclesiarum magistri vel ex cathedra docent, vel sua fermenta obrudunt, non cuiusuis est populo, sed aliorum superiorum Pastorum & Synodalis maxime authoritatis est iudicare. Quarto si Caluini argumentum simpliciter admittatur, nec ipse Caluinus nec alius quispiam haereticus magister authoritatem docendi diu retinebit, sed non obstante ministerij sui honore & dignitate, facillime à quolibet reijcietur quod docet, tanquam fermentum Pharisaicum: sicuti & olim idem licuit Valentinianis quod Valentino (ait in Praescript. Tertulianus) & hodie idem licuit Lutheranis quod Luthero, qui ab illo maximo numero descuerunt, sicut ipse ab Ecclesia descuerat. Nihil ergo hoc Caluini argumento magis impium, nihil ineptius. Sunt autem haec omnia latius explicata in opere nostro de Princip. fidei, potissimum verò libro 2. cap. 13. & lib. 10. cap. 4.

18. *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praeualebunt aduersus eam.*

**T**OTUM hunc locum Caluinus nouo commentario penitus peruertit. Ait Simonem Petrum vocari, quia uiuus in templo Dei lapis suam stabilitatem retinebat. Super hanc petram exponit, esse Christi fidem, super quam non tantum Simon, sed et omnes alij fundati sancto consensu in spirituale aedificium aptantur: & quicquid piorum in mundo futurum erat, Petro aggregare Christum voluisse. Non praeualebunt aduersus eam, exponit de Ecclesiae quidem inuicta



inuicta firmitate intelligi, sed quod de corpore Ecclesiae dicitur, ad singula eius membra pertinere, quatenus unum sunt in Christo: & quicumque in Christo unum Christum mediatorē agnoscunt, in finem usque ab omni noxa tui manebunt. Hæc ille. Ita insigni impostura ac fraude totum hunc locum peruertit. Quæ Christus de vnus Petri & successorum eius persona dixerat, ad quemlibet fidelem trahit. Quæ de totius Ecclesiae firmitate Christus promisit, ad specialem fidem & certitudinem salutis in quolibet credente contorquet. Ita non solum verum sensum peruertit, sed & impio dogmati de vnica piorum fide inamissibili hanc Scripturam subseruire facit. Verum autem & genuinum ex Patribus depromptum horum verborum sensum, totiusque loci vim & doctrinam vberius explicatam vide in Prompt. Cath. in festo SS. Petri & Pauli. Iam verò hæc verba, *Tibi dabo clausas regni caelorum*, vni Petro singulariter dicta, ad omnes Euangelij ministros transfert Calvinus, & totam clauium potestatem in verbi ministerio ac prædicatione ponit. Contra quam duplicem huius loci corruptelam vide à nobis disputata in Prompt. Cath. loco citato.

Caterum quia Calvinus facta sua expositione hæretica, Catholicam vult impugnare, disputationem eius breuiter examiuabimus. At se velle *putidas Papæ calumnias breuiter diluere*, quum tamen quæ postea diluere conatur, non vnus Papæ, sed veterum Patrum & doctorum Ecclesiae assertiones & explicationes sint. *Fingit* (inquit) *Petrum vocari Ecclesiae fundamentum*. Respondeo: Hoc Papa non fingit, sed Patres magno consensu docent, quos loco citato magno numero produximus. Sed quomodo hanc interpretationem refutet videamus.



deamus. *Quis autem non videt, quod transfert ad hominis personam, de Petri fide dictum esse? Hoc non est veritatem refutare, sed fortiter quod falsum est affirmare. Quomodo autem de fide quoque Petri Patres hoc exponunt, loco citato explicuimus. Deinde si nunc de Petri fide hoc dicitur Caluine, cur prius de omnium in Christum credentium fide hæc verba exposuisti? Sequitur. Idem fateor apud Græcos significant Petrus & Petra, nisi quod prius nomen Atticum est, alterum verò communis lingue. Sed hæc varietas non temere à Matthæo posita est, quin potius consilio mutatum est genus ut diuersum aliquid exprimeret: nec dubito quin tale discrimen notauerit Christus sua lingue. Atqui hinc Caluinus propter ignorantiam lingue sanctæ egregiè fallitur. Nam in Matthæo hebræo qui nunc extat, sine vlla mutatione generis legitur, & vtrobique idem nomen est, hoc modo:*

Petrus &  
Petra vna  
hebræis  
dictio.

אֶתְּהָא כִּיפָא וְעַל הַכִּיפָא

Beza Cal-  
uinum  
corrigit.

In Matthæo quoque Syro vtrobique est אֶתְּהָא sine vlla variatione. Quare Beza ipse magistram suam corrigens in hunc locum ait. *Dominus Syriacè loquens, nulla usus est agnominatio, sed vtrobique dixit, Cepha. Græcus autem interpret Attica voce priori loco usus est, quia genus masculinum homini magis conueniebat. Secundo autem loco petram posuit, quia tamen ad hominem & personam Petri illa vox pertineat, non tamen ad hominem aut Petri personam simpliciter sicut ipsa nuncupatio Petri, sed ad hominem in fide roboratum, & ad personam Petri à Christo stabilitam pertinet: quæ alibi latius explicata sunt, ut ridiculus sit hoc loco Beza qui posteriori loco petram non Petrum ab interprete positum nugatur, ut Christum, qui petra est, secundo loco designaret. Christus enim tamen petra certè*



certè est, non tamen est *haec petra* ad quã ibi Christus loquitur. Probare tamen vult Calvinus ex Augustino. *Prudenter itaque Augustinus non petram à Petro, sed Petrum à petra dici admonet, sicut à Christo omnes sumus Christiani.* Quo sensu ista & quibus de caulis Augustinus ita in hunc modum disputat, accuratè explicatum vide in opere nostro de Princip. fidei lib. 6. cap. 3. Pergit Calvinus. *Porro ne longior sim, quum illud Pauli inter nos pro certo & confesso habendum sit, non alibi posse fundari Ecclesiam quàm in Christo solo, non sine sacrilega blasphemia aliud fundamentum Papa commentus est.* Sed huic putidæ ac tricæ obiectioni vberius quidem loco iam postremò citato, breuiter verò in Prompt. Cath. in die SS. Petri & Pauli fatisfecimus. Quæ calumniando, vel eadem quæ dixerat repetendo, nuda semper affirmatione vsus prosequitur Calvinus, vt inania ac nugatoria prætermittimus.

Dicit tandem aliqua disputandi specie. *At Christus Petrum vnum nominatim alloquitur.* Rectè si mē hoc obseruat sibi que obijcit Calvinus. Nūc quid respondeat attende. *Nempe sicuti vnus omnium nomine Christum confessus fuerat Dei Filium, ita vicissim ad vnum dirigitur sermo, qui tamen peræquè ad alios pertinet.* Atqui hæc responsio obiectionem magis confirmat. Luce enim meridiana clarius est, Petrū non omnium nomine, sed ex fide sibi soli reuelata, Christum confessum fuisse Dei filium. Idcirco enim non dixit illi Christus, *Beati estis quia Pater meus vobis reuelauit, quod certè dicere debuisset si omnes idem credidissent, & omniū nomine loquutus Petrus fuisset, sed dicit illi vni singulariter. Beatus es Simon bar Iona, quia Pater meus reuelauit tibi: Et ego tibi dico, &c.* Deinde quando Petrus alio in loco omnium Apostolorum nomine loquitur,

Petrus nō  
respondit  
omniū  
nomine.



Joan. 6.

quitur, id satis exprimit numero plurali vtens: vt dicente Christo, *Numquid & vos vultis abire?* respondit omnium nomine Petrus: *Ad quem ibimus? verba vite aeternae habes.* Denique omnes ferè Patres contra vnum Caluinum, vnus Petri, non omnium Apostolorum hanc confessionem fuisse, concorditer docent. Quare sicut solus confessus est, ita ad illum solum dirigitur sermo.

Ad aliam responsionem confugit Caluinus. *Nec verò spernenda est illa quae à Cypriano & alijs adducitur ratio, Christum in vnus persona loquutum esse omnibus, vt Ecclesiae vnitatem commendaret.* Respondet Cyprianum docere quidem *claves Ecclesiae sic vni Petro esse datas*, vt & alijs Apostolis dari intelligantur; *ideo autem vni, vt Ecclesiae vnitas commendaretur*: sed addit Cyprianus, quod fraudulenter Caluinus silentio premit: *Vna cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.* Et rursus, *Exordium ab vnitatem proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & vna cathedra monstraretur.* Hæc ille. Pergit Caluinus. *Excipiunt alijs omnibus præferri cui hoc peculiariter datum est.* Hoc verò perinde est ac si magis fuisse Apostolum contenderent quam suos collegas. *Neque enim ab Apostolatu magis diuelli potest ligandi & soluendi potestas, quam à sole calor vel lumē.* Nihil ineptius inferri potuit. Sic enim Caluini procedit argumentum: *Ligandi & soluendi potestas ab Apostolatu diuelli non potest: Ergo Petrus si in potestate clauium præferatur alijs Apostolis, erit magis Apostolus quam cæteri.* Huius argumenti absurditas in simili apparebit: *A locum tenete Regio diuelli non potest iudicandi potestas: Ergo si locum tenens Regius in potestate iudicandi cæteris Iudicibus localibus, aut certarum ciuitatum Prætoribus antefertur,*

In lib. de  
vni Ec-  
clesiæ.

Futile ar-  
gumentū  
Caluini.



tur, erit magis Iudex quàm ceteri. Sicut enim hic locum tenens Regius maior quidem & superior Iudex est, vt Regis vicarius, & ceterorū localium Iudicum ac Prætorum primus, qui ipsis etiam Iudicibus præferatur, & illorum sub Rege caput sit, non tamen magis Iudex est, sed alij in suo districtu æque bene Iudices sunt, verèque & efficaciter iudicant, quando officium suum legitime exequuntur; de quo si dubitetur, ad locum tenentis tribunal fit appellatio: sic omnino Petrus Apostolus alijs præfertur in potestate clauium, vt supremus Apostolus, Christi vicarius, ceterorum caput & coryphæus (vt Patres de eo loquuntur) non tamen magis Apostolus est, vt cauillatur Calvinus, sed alij Apostoli respectu subditorum suorum non minus Apostoli sunt, nec minus verè & efficaciter ligant ac soluunt suos subditos quàm Petrus, quando clauis non errat; de quo si dubiretur, ad Petri tribunal fit appellatio. Quomodo autem Petrus ipsis Apostolis ratione clauium prælatus fuerit, vide latius à nobis explicatum in Opere de Princip. fidei libro 6. capite 7.

Cauillatur adhuc Calvinus. *Ceterū vt demus Petro concessum plus aliquid fuisse quàm reliquis, vt inter Apostolos excelleret; stultè tamen inferunt Papistæ, datum illi fuisse primatum vt vniuersale esset totius Ecclesiæ caput. Nam & aliud est dignitas quàm imperium: & aliud inter paucos summo honoris gradu pollere, quàm sub vlnas suas colligere totum orbem. Hæc ille. Primum quod de dignitate distinguit & imperio, pueriliter nugatur. Petri & successorum eius primatus, dignitatem quidem aliquo modo significat, quatenus veri nominis prælatura est, & quidem in summo honoris genere, quia & Christi locum tenet,*



net, & super animas hominum potestatem habet, quoad illas vel soluendas vel ligandas. Imperium autem illa vox non significat: Imperium huius mundi Regibus & Imperatoribus tū Petrus tum successores eius respectu officij pastoralis reliquerunt. Puerile & caninæ facundiæ est, sed Caluino v̄sitatissimum, in Sacrarum Scripturarum tractatione grauissima, intemperanter maledicere, & verbis odiosis veram facti speciem inuertere: denique vel pueriliter ludere, vel muliebriter rixari. Alteram responsionis partem in sequentibus vult confirmare. *Et sanè (inquit) nihil illi oneris imposuit Christus quàm obire possit. Iubetur regni caelorum esse ianitor, iubetur ligando & soluendo dispensare Dei gratiam, eiusque iudicium in terra exequi. Nempe quatenus se extendit mortalis hominis facultas.*

Caluini  
canina  
facundia.

Caluini  
spiritus  
ethnicus.

Vult igitur Calvinus, spiritu planè ethnico & impio potestatem à Christo datam, ad mortalis hominis facultatem meriri. Potuit iuxta illum Petrus cæteris Apostolis & paucis illis hominibus præesse, sed non potest toti orbi præesse, quia hoc mortalis hominis facultatē excedit. In quo vide mul-

1. tiplicem hominis dementiam. Primum, si Petrus paucis illis Apostolis præfuit, multo magis eorum subditis præfuit: At illi toto orbe prædicauerunt, & in totum orbem exiit sonus eorum: Ergo Petrus, hoc ipso quod illis præerat, toti orbi præfuit. Deinde non potest dici quòd propter solas personas Apostolorum Petrus primatum acceperit: quia quum iste primatus ad schismatis occasionem tollendam & ad vnitatem in Ecclesia seruandam datus fuerit, hoc primatu sanctissimi Apostoli minimè omnium indiguerunt. Ergo primatum accepit propter ipsos potissimū reliquorum Apostolorum subditos toto orbe dispersos.

Rom. 10.

Rursum



Rursum si *mortalis hominis facultas* spectetur, quis demum est qui vel vnus minimæ paræciæ præesse, imò qui suam solius animam seruare potest? Spectandum hîc ergo non quid *mortalis hominis facultas*, sed quid Christi gratia valeat; qui quibus iubet, dat id quod iubet. Vide plura in Princip. fidei, lib. 6. cap. 16. Quare Calvinus contra seipsum quasi vertigine laborans concludit. Ergo quicquid ei datum est, ad mensuram gratiæ restringere conuenit, qua donatus est ad Ecclesiæ ædificationem. Planè contra seipsum & contra præcedentem disputationem concludit. Si enim quod Petro datû est, ad mensuram gratiæ qua donatus est, restringendum est, quare prius Calvinus id quod Petro datum est, ad mensuram facultatis mortalis hominis restrinxit? An putat Calvinus mensuram gratiæ, mortalis hominis facultatem non excedere? Aut si hoc non putat; quo demum iudicio, qua mente, Petri potestatem superius ad mortalis hominis facultatem restrinxit, nûc verò ad mensuram gratiæ restringit? Atqui aduertere Calvinus debuit mortalis hominis facultatē in potestate rerû spiritualium nullam esse; iuxta illud Christi: *Sine me nihil potestis facere*: mensuram autem gratiæ, ad quælibet præstanda facultatem dare; iuxta illud Pauli: *Omnia possim in eo qui me confortat*. Verè igitur quicquid Petro datum est, non ad mortalis hominis facultatem, vt prius disputauit, sed ad mensuram gratiæ qua donatus est, vt nunc disputat, expendendum est. Christus autem qui amplissimam potestatem Petro dedit, gratiæ quoque mensuram copiosam ei dedisse credendus est. Nam idcirco vni Petro postea dixit, *Ego rogavi pro te vt fides tua non deficiat*. Et hoc ipso in loco Christus ei dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Christus seipsum

Calvinus  
sibi con-  
trarius.

Ioan. 15.

Phil. 4.

Luc. 22.



sum ædificaturum dixit. Illo igitur ædificante super Petrum, stabit Petrus, & stabit ædificium. *Pfal. 126. enim Dominus ædificauerit ciuitatem, non frustra laborant qui ædificant eam.*

Nunc tamen post tam insulsam disputationem, vide quantum triumphum agat Caluinus. *Ita concidit immensam illud imperium quod illi arrogant Papista.* Triumphum sanè cecinit, sed ante victoriam. Quare adhuc in omnem se partem vertens, aliam aggreditur via. Primum disputat Petri primatum ad successores transire non posse: quod multis tamen argumentis necessarium esse, alibi demonstrauimus. Deinde Romanum Pontificem Petri non esse successorem declamitat, contra omnem antiquitatem affirmans Petrum Romæ Episcopum non fuisse: quam dementiam refutauimus ad illa Petri verba in fine epistolæ. 2. *Salutat vos Ecclesia que in Babylone est.* Tertio ac postremo debacchatur in Rom. Pontifices horum temporum, quod officium non faciant, ideoque inter Petri successores non habendos esse. Quæ tota oratio contumeliosè plena, & argumentis vacua, seipsam satis abunde refutat.

Princip.  
lib. 6.  
cap. 15.

23. *Vade post me Satana: scandalum es mihi.*

**S**CRIPTURÆ Euangelicæ corruptor Caluinus non solum hanc Petri reprehensionem durius & acerbius exponit quam textus ferat, sed etiam in vniuersum Catholicorum pias intentiones & deuotiones circa voluntarium Dei cultum exagitat, quasi penitus Satanas, & à Christo hoc loco acerrimè damnatas. De Petro dicit, quod *præpostero suo zelo Satanas partes obiret; neque simpliciter à Christo aduersarium vocari, sed*